

alij prælati, si accedere uoluerint, ac alios quoslibet obedientiæ dicti domini Benedicti & tam clericos, quam laicos cuiusuis status, gradus aut conditionis existant, cum gen-  
 ribus & familiaribus suis & bonis eorum cum sufficientibus literis de saluo condu-  
 ctu, quòd tute & libere possint ire, transire & morari per itinera & loca usque ad  
 Constantiam inclusiue, & stare in dicta ciuitate Constantiensis & in dicto concilio,  
 quamdiu eis & cuilibet eorum placuerit, & reuerti ab illis cum uoluerint, & aliàs in  
 omnibus & per omnia eundo, stando & redeundo, plenissima gaudeant libertate, &  
 quòd officiales & consules Constantienses in absentia prædicti domini regis Ro-  
 manorum & alij ad quos spectat, iurent, & mediante eorum iuramento promit-  
 tant, quòd fideliter obseruabunt, quantum ad eos spectat, & obseruari facient præ-  
 missa omnia & singula, & defendent, & tuebuntur supradictos omnes & singulos  
 in personis & bonis pro toto posse, omni fraude cessante, & nullam impressionem  
 aut uiolentiam directe uel indirecte facient, aut fieri permittent iam dictis personis  
 uel eorum singulis, nec bonis eorum quoquomodo, & omnia ista firmabunt iuramenti  
 per dictum dominum regem Romanorum per se, & per alios dominos pro concilio  
 Constantiensis hic præsentem, tam nomine dicti concilij, quam proprio. Quæ gui-  
 data & assecuramenta mittent domino regi Aragonum, unà cum literis conuoca-  
 torijs dicti concilij, ad hoc ut dictus dominus rex possit certificare uocandos de dictis  
 securitatibus & saluis cõductibus, ne dicti uocati, dicta occasione se ualeant, abeundo  
 seu mittendo ad dictum concilium, excusare.

Vndecimo, quòd dictus dominus rex Romanorum suo nomine & pro successo-  
 ribus suis & alij domini hic præsentem, nomine dictorum dominorum de concilio  
 Constantiensis & proprio iurabunt singulariter & promittent, quòd omnia &  
 singula in prædictis capitulis & eorum qualibet contenta facient (quorum in eis  
 erit) omni dolo cessante, per dominos cardinales, patriarchas, archiepiscopos, epis-  
 copos & alios prælatos, ambasiatores dominorum regum & principum, & alios in  
 dicto concilio Constantiensis existentes ut singulares per se, uel personas ad hoc suffi-  
 cienti potestate suffultas approbati, firmari, & iurari, antequam concedantur dictæ li-  
 teræ conuocatoriæ. Et quòd in prima sessione facta unione ad dictum concilium,  
 pro dicto uniuersali concilio prædicta facient, concedent, statuent, ordinabunt, &  
 iurabunt. Et si contrarium præmissorum uel alicuius ipsorum fieret, uel prædicta  
 omnia & singula non adimplerentur, fierent, & exequerentur, prout in dictis capi-  
 tulis & eorum quolibet continetur, ex nunc aiunt & dicunt dicti domini reges &  
 principes, prælati & alij ipsius obedientiæ domini Benedicti ab expresso, quòd ipso  
 facto sit irritum & inane, & quòd ad obseruantiam præsentium capitulorum mini-  
 mum uel etiam alicuius eorum teneantur. Et etiam ambasiatores regum & principum  
 hic præsentem obedientiæ domini Benedicti, firmant & iurent dictis nominibus  
 dictorum regum & principum pro se & successoribus suis, tenere & obseruare  
 omnia & singula supradicta, quantum in eis erit. Duodecimo, quòd de prædictis  
 omnibus & singulis firmentur, & tradantur cuilibet partium prædictorum tot, quot  
 necessaria fuerint, publica instrumenta.

Anno à natiuitate domini millesimo quadringentesimo decimo sexto, indictione  
 nona, die martis quarta mensis Februarij Constantiæ in ecclesia maiori fuit congregatio  
 generalis. Et dominus archiepiscopus Iacobus Turonensis unus ex ambasiato-  
 ribus concilij ad partes Aragoniæ, in ambone existens, proposuit, quomodo iux-  
 ta conuenta in capitulis Narbonensibus omnes & singuli domini cardinales, præla-  
 ti, ambasiatores & procuratores existentes in ipso concilio, tenerentur medijs eorum  
 iuramentis dicta capitula approbare, & supplicauit ita fieri. Domini uero de concilio  
 ibidem stantes, nemine discrepante, responderunt, Placet. Approbaruntq; dicta  
 capitula & iurauerunt ea fideliter obseruare, uidelicet domini cardinales & prælati  
 ad